



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1785**

**VD18 13322648**

§. 54. Rex suam declarationem in acta Parlamenti referri postulans.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

die contra Constitutionem Parisino Parlamento duos libellos supplices offerrent, in quorum altero, quem Parisienses Advocati promulgaverant, formularii subscriptionem, & Constitutionis acceptationem propudioso Idololatriæ nomine infamabant.

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

§. LIV.

*Rex suam declarationem in acta Parlamenti referri postulans.*

Appropinquante die, qua Ludovicus XV. Franciæ Rex pro tribunali sedere constituit, ejus jussu Antonius Dreux supremus rituum Magister Parlamentum convocavit: Convenerant igitur in Lupara Regiæ stirpis Principes, Duces, Franciæ Pares, Marscalli, aliique quamplurimi, quos inter Borbonius Dux Regem unacum Aurelianensi Duce, & Carolo regio ac Claramontio Comitibus adventantem per honorifice excepit: Præmissis mutuæ salutationis officiis Rex sacro solemniter interfuit, quo peracto ad majorem Aulam progressus, præsentibus ita alloquebatur: *Exhibeo meo Senatui declarationem, quam vestris tabulis inferi postulo, cetera a meo Cancellario percipietis.* His dictis subjunxit Cancellarius: *Hæc Rex non ideo postulat, ut Regiæ suæ potestatis*

Q 5

actum

Sæc. XVIII.

A. C. 1730.

actum exercere, videatur, sed unice ideo, ut tandem graves altercationes tollantur, & damnis inde emerfuris præcaveatur, atque obstinati, qui Constitutionem tanquam Ecclesie ac Regni legem acceptare, & declarationibus Regiis hætenus editis obsequi renuunt, imo & dissidia jamjam extincta resuscitare præsumunt, pro merito culpa coerceantur. Ad hæc Parlamenti nomine Præses respondit, declarationem in hoc excedere, quod Constitutionem pro universali Ecclesie lege, qualis tamen non esset, acceptari exigeret. At Gilbertus supremus Parlamenti Advocatus Declarationem sine omni limitatione recipiendam esse conclusit, eamque ab illo, qui a Regiis commentarius erat, publice prælegi iussit. Exoribat inde gravis omnino tumultus, ac præ ceteris Lessevilla Præses senio venerandus in genua procumbens, Regem rogabat, ut suam declarationem revocaret, demum a Cancellario admonitus, quod opinandi series ipsum nondum tangeret, surgere tamen non sinit, donec Regis nomine tacere iussus esset. Ex ceteris Senatoribus alii parlam reclamabant, alii inquieto murmure suam oppositionem manifestabant, pauci solo capitis nutu declarationem actis inferendam esse innuebant: Præcipue vero Novetus, Mongeronus, Peti-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

Petitus, Vilenierus, Gasconus, Dupreus, Sanmaurus, alique tam concitata voce obstrepebant, ut Cancellarius iterata vice silentium indicere cogeretur. Porro ad sedandum hunc tumultum Præses Amelotus de Gournay nil consultius proponi posse censebat, quam Regem perdemisse esse rogandum, ut suam declarationem suppressere vellet: Hujus consilio annuebant supremæ Curix Patres, ex quibus præcipue Abbas Pucella, Bellepechius & Vrevinus assentiebant quidem, Cancellario vero mordacibus verbis animi sui inconstantiam exprobrabant. Horum tamen declamatione flocci habita, Parlamentum ex Regis mandato declarationem ad acta referre cogebatur, proin cuncta, quæ die tertia Aprilis contra eam agebantur, tanquam nulla & irrita fuere declarata, interminata pœna alias in refractarios stabilita. Insuper Rex ad Parlamentum literas transmisit, vi quarum quatuor Præsides, & totidem seniores Consiliiarii, Advocati, alique plures Fontis Bellaquei ad diem primam Maij comparere jubebantur, quibus ad alloquium admissis Rex hæc significabat: *Vos huc venire jussi, ut vobis indicarem, quam iniquo animo tulerim omnes vestros ausus, consilia & tumultus, a die, quo pro tribunali sedebam, concitatos,*

Sæc. XVIII.  
A. C. 1730.

tatos, cetera ex meo Cancellario percipiat. Hic vero suam eis pertinaciam acriter exprobrans, cuncta hucusque gesta annullari, exacte describi, ac demum hanc scripturam ad acta referri iussit, hisque verbis suum absolvit sermonem: *Hucusque Rex tanquam Pater vobiscum egit, cavete, ne se vestrum Regem esse monstrare cogatur.* Ad hæc Præses nomine Parlamenti respondit, dolemus summo opere, Regi nostram agendi rationem molestam accidisse, ast Parlamentum, quicquid egisset, non alio fecisse animo nisi ut suam Regi fidelitatem testatam redderet, ac propterea sperare se, quod præstitis suæ fidei obsequiis Regiam deinceps gratiam esset promeriturum. Hæc ita peractis Rex, ut mali radicem evelleret, Quesnelistis administrationem Collegii ad S. Barbaram ademittit; cum enim illud jam dudum esset quasi Seminarium Jansenismi, hinc Rex omnes illius Superiores ac Professores ad viginti omnino leucas extra Parisinam urbem exulare iussit, eisque præclaros subrogavit Magistros, qui proprio suo exemplo obedientiam decretis Apostolicis debitam probe edocerent.

§. LV.